


VIRO DOCTISSIMO IOAN-  
NI SCHONERO MATHEMATICO  
PHILIPPVS MELANTHON  
S. D.

 Vm vrbs Noriberga multis ciuilibus ornamentis abundet, hoc decus profectò non in postremis numerandum est, quòd aliquot iam seculis perpetuò in ea Vrbe, studia Mathematicum magna cum laude floruerunt. Atq; ita genius vrbs huic pulcherrimæ parti Philosophiæ fauet, vt non solum aliunde accersiti sint à Repub. homines doctissimi, qui eius doctrinæ possessionem retinerent, sed etiam procrearit ipsa Vrbs multa foelicia ingenia, quæ in his artibus excelluerunt, colantq; has disciplinas non solum pauci quidam ociosi, solis dediti literis, sed alij etiam multi, occupati tum priuatis negotijs, tum Reipub. procuratione. Meo quidem iudicio gloriosius est Athenis, quòd Philosophiæ & omnium optimarum artium, quæ ad bene beateq; viuendum necessariae sunt, inde vsq; à Platonis ætate ad Antoninorum tempora annos ferè sexcentos domicilium perpetuum fuerunt, quàm quòd principatum Græciæ tenuerunt annos septuaginta, qui non solum nihil utilitatis attulit venturæ ætati & reliquis gentibus, sed tunc quoque Athenis ipsis calamitosus fuit. Ne Miletum quidem tam ornarunt amplissimæ opes, quàm vir doctissimus Thales, qui non solum in ea vrbe, sed in tota Ionia primus excitauit studia doctrinæ de rebus cœlestibus, ostendit siderum motus, & certam anni rationem descripsit. Nec Alexandria nobilior est conditore Alexandro, quàm perpetua philosophiæ conseruatione & propagatione. Itaque hæc doctrinæ studia iure commemoramus inter præcipua vrbs Noribergæ ornamenta. Hæc enim vrbs fouit ingenium Ioannis de Regiomonte, habuit & ciues summis ingenijs præditos, qui has disciplinas tum coluerunt, tum etiam illustrarunt. D. Ioannem Vernerum, D. Præpositum Melchiorem Pfintzing, D. Bilibaldum Pyrcamerum, D. Cholereum. Nec vlla tam celebris est Academia, in qua hodie maior sit frequentia eruditorum in hoc genere quàm Noribergæ. Nec tantum fruitur ipsa vrbs voluptate huius doctrinæ,  
B na,

*Handwritten note in red ink: "g. 2. 8. ob. mag."*